

Intempestiva & damnosa subtilitas est, notitiam ex partibus fidei eliminare & ad conditiones, quæ necessario ad eandem prærequiruntur, referre.

II. Absurdum est, notitiam fidei à scientiâ rerum sacrarum distingvere. Es. LIII. 12. Hiob. XIX. 25.

III. Forma fidei, quâ justificat, in receptione, adeoque in passione consistit, Joh. I. 12. quæ tamen eo momento, quo recipit, vivax & actiuosa est, beneficium, quod accepit, arctè tenendo, Gen. XXXII. 26. Gal. II. 20.

IV. Non ad omnem non repugnantiam fides consequitur, sed ad eam tantum, quæ receptionem gratiæ justificantis immediatè antecedit. Act. XXVI. 19.

V. Qui enim primo gratiæ gradui non repugnat, repugnat autem vel secundo vel tertio, fidei particeps non redditur. Act. XXVI. 28.

VI. Apologia Aug. Conf. cum inquit: *illa virtus justificat, quæ apprehendit Christum; hac autem virtus fides est: operi justificandi virtutem non tribuit, sed occasione ex adversariorum argumento sumpta, quo caritatem, quia maxima juxta Apostolum virtus sit, justificare contendebant, virtutis vocem ad eam notionem, quâ vires significat, quæ majus ipsâ charitate opus efficiant, deflectit.*

VII. Maxima autem fidei virtus seu opus est meritum Christi, semel recepti, complexus, in eodemque totius animi recumbentia; post illam charitas DEI & proximi. Gal. V. 6.

VIII. Eadem Apologia: *velle credere est obedientia erga Deum; Socinianis non patrociniatur, qui fidem per obedientiam non tam verbo Evangelii, Christum offerentis, quam legis præstitam definiunt.*

IX. Fidei vita primaria, interno animi, de gratiâ acceptâ exultantis, motu definita, à carnali securitate secer-

nitur,